



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

Delvaux, André

Coloniæ Agrippinæ, 1686

Tit. 27. De Clerico excommunicato, deposito vel interdicto ministrante.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

TITULUS XXVII.

De Clerico excommunicato,
deposito vel interdicto
ministrante.1. *Pœna Clerici ac Sacerdotii excommunicati celebrantis.*

Delicta jam explicata omnibus Clericis communia sunt, ob quæ Clerici vel suspenduntur, vel deponuntur, vel excommunicantur: quæ sequuntur, circa functionem Ordinum Ecclesiasticorum versantur, ex eo, quod tales Clerici, suspensi, depositi vel excommunicati, subinde celebrare & divinis officiis sese ingerere præsumant; & sic aliud delictum de novo committunt, ac priori accumulunt.

Si quis igitur Clericus, depositus, degradatus, vel suspensus, in Ordine suo ministrat, & monitus non desistat, excommunicatur; & si nec sic desistat, per sæcularem potestatem ad requisitionem Ecclesiæ exilio damnatur, *c. 1. & 2. h. t.* Sacerdos verò, sciens se excommunicatum (majori scilicet excommunicatione) vel alius interdictum celebrans vel se ingerens celebrationi divinorum, sit irregularis, id est in perpetuum ab officio sacerdotali deponi ac beneficiis omnibus spoliari debet; *cap. Lator, c. Fratemitatis tua 6. h. t.* licet per solum rûmorem ac famam sciat se excommunicatum, quo tamen casu cum eo potest misericorditer dispensari, *c. Illud Dominus 5. h. t.* Sed nec collatio beneficii facta Clerico excommunicato tenet, & tali beneficium conferens suspenditur à beneficiorum collatione, *c. 7. h. t.* nisi tempore collationis fuerit absolutus, *c. Præposuit 8. h. t.*

Dixi, sciens se excommunicatum; nam si ignoranter, non sit irregularis, ac proinde quoad hoc nulla indiget dispensatione, nisi forte ignorantia esset crassa ac supina aut erronea, *cap. Ad Apostolica 9. h. t.*

Addidi, majori scilicet excommunicatione; quia minori excommunicatione innodatus, licet celebrando peccet graviter, tamen non sit

irregularis, *c. ult. h. t.* Et licet eligi prohibeatur, non tamen eligere, vel ea quæ sunt jurisdictionis exercere, *d. e. ult.* Similiter si alius conferat Sacramenta, quam vis peccet, nullius tamen notam incurrit irregularitatis, & tenet collatio, quumque effectum habet, cum non videatur à collatione, sed participatione Sacramentorum, quæ in sola consistit perceptione, remota, *d. e. ult. in fine.* Et hoc est, quod dici solet ab interpretibus, implicitum minori excommunicatione suspensum esse à Sacramentis Ecclesiasticis quoad se, non quoad alios, quod desumptum est ex *c. ult. sup. De cohabi. Clericor. &c.* Vide Covar. in *c. Al. ma mater De sens. excommunicati in 6 p. 1. §. 8. n. 1. & 2.*

TITULUS XXVIII.

De Clerico non ordinato ministrante.

1. *Pœna Clerici ministrantis in Ordine, quem non suscepit.*
2. *Item laici & non ordinati celebrantis.*

Gravissimè quoque delinquit Clericus dum ejus Ordinis quem nondum suscepit ministerium & functionem exercet: veluti dum Subdiaconus Diaconi, vel Diaconus Sacerdotis officio fungitur.

1. Si igitur Clericus ministrat in pertinentibus ad Ordinem, quem nondum suscepit, puta si nullâ instante necessitate baptizavit; aut aliquod divinum officium exercuerit, deponendus est, & amplius non ordinandus, *c. 1. h. t.* Dixi, si nulla instante necessitate; quia si urgeat necessitas, potest quilibet baptizare, ut diximus *ad Tit. De baptismo.*

Diaconus verò Missam celebrans ad Sacerdotii Ordinem promovet: non potest, & à Diaconatu suspenditur, ad biennium vel triennium, prout Diaconatus visum fuerit, *cap. 2. h. t.* De beneficio tamen cum eo misericorditer agi poterit per Episcopum, ne sustentatione privatus ad sæculi negotia in opprobrium Cleri cogatur reverti, *d. cap. 2.* Sic quoque videtur